

2. † R. P. Stephanus Connelly (1864-1937)

Unus ex pulmonibus P. Stephani Connelly erat «ruptus» seu utcumque transformatus et oesophagum in unum latus traxerat, ita ut difficillime aliquid deglutire posset, donec chirurgi manus intervenit. Tamen pulmo mansit infirmus, et omnes mirabantur, quod talis homo tam diu et tam bene sacrae praedicationi se dare poterat; immo erat unus ex optimis Provinciae missionariis et capax apposite ad persuadendum et delectandum dicendi in quacumque occasione et de quocumque argumento.

Natus parentibus Hibernis in Sillery, Quebec City, 10 Aug. 1864, generosae suae stirpis ardorem, fortitudinem, hilaritatem pure referebat. Pariter ac P. Sinon Grogan studia humanistica in minore Seminario nostro North East(USA), altiora in Ilchester, tirocinium Annapoli perfecit. Primum Superior factus est a. 1912, communitati Torontinae propositus simulque Consultor Vice-Provincialis; Provincia enim non est erecta nisi a. 1918.

Rector domus Quebecensis S. Patritii (1921–1927), aedificavit novum collegium nostrum in via vulgo *Grande Allée*. Ultima eius statio fuit London, Ontario, ubi supremum diem obiit in nosocomio S. Ioseph 5 Febr. 1937. Funeri adfuere permulti confratres et sacerdotes saeculares, et ipse Archiepiscopus (postea Cardinalis) Torontinus Exm̃us Mc Guigan Missam cantavit.

Reliquit memoriam viri magna fide, benignitate, eloquentia, indomita voluntate, propositi tenacitate magnaue exsequendi habilitate praediti.